



Annales Societatis Divini Salvatoris

A Supremo Moderatore eiusdem Societatis
ut manuscripti editi

Vol. I.

Romae, die 1. decembris 1947

Num. 2

„Crescite in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi!“ II Petri 3, 18,
„Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos!“ Tit. III. 4; II. 11-12.




Photo Sciamanna, Roma

Confratres in Christo Salvatore dilectissimi!

Annalium nostrorum fasciculum primum additis ordinationibus Capituli nostri Generalis septimi nuper hac in Urbe celebrati ad singulos jamjam pervenisse spero. Et re quidem vera, plures confratres se annales jam accepisse confirmaverunt. Omnes relationes ad nos allatae tum sodalis cuiuslibet quam collegiorum singulari nos afficit laetitia, inprimis si hae relationes succesus felices nobis annuntiant. Haud difficulter et litteris tam multis ad nos missis eruere possumus vitam religiosam in Societate vigere singulosque sodales strenuo adlaborare, ut in spiritu Venerabilis nostri Patris Fundatoris officia sua exsequantur. Utinam talis spiritus in Societate permaneat, ne umquam de quocumque sodali multoque minus de ipsa Societate notissima illa verba Apocalypsis S. Joannis praedicari debeant: «Scio opera tua, et laborem et patientiam... sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.» Apoc. II. 2—4.

Spiritus est, qui Societatem vivam reddit eamque vivam conservat. Tenacem esse alicuius formae, quae non pertinet ad essentiam rei, minoris potius momenti est, imo organismum quemcumque durum plane mortuumque reddit; supremi vero momenti est, ut forma ipsa vero spiritu semper vivificetur!

Etenim prae oculis semper habendus est **finis proprius** Societatis nostrae: **sanctificatio propria et sanctificatio proximi**. SALVATOR MUNDI ob oculos nostros semper versetur utpote pauperrimus in sua vita (formam servi accipiens), castissimus fulgens castitate virginali (natus de Maria virgine), oboedientissimus (non meam, sed Patris sequens voluntatem), clementissimus spirans semper et ubique ineffabilem bonitatem et amorem (pertransiit benefaciendo).

Quoniam vocationem religiosam et sacerdotalem non accepimus a nobismetipsis, sed quia Deus gratia sua praevenienti eam nobis contulit, Ipsi de vocatione nostra

rationem reddere debemus. Suam quisque salutem aeternam uti salvatorianus consequi debet munerique apostolico uti salvatorianus satisfacere studeat. Cotidie unusquisque denuo promittat dicatque ex tota anima sua: Vota mea Domino reddam!

Tentationes non paucae hodie homines invadunt, siquidem miseria socialis ubique ferme terrarum in dies crescit. Porro odio in Christum suosque servos fideles tam vehementer commoto ipsa vita nostra religiosa periclitatur, cum commoratio extra Communitatem bello immani per sex fere integros annos protracto aliquibus sodalibus magis grata evaserit. Societas nostra non solum tam multis indigentibus in vita religiosa moderna satisfacere nititur, sed etiam ingenii facultatem indolemque uniuscuiusque promovere pro viribus studet. Omnibus igitur rationibus et mediis, quae caritas Christi inspirat, ad finem in Societate nobis propositum intendamus! Numquam vero professionem ipsam alligamus ad determinatum quendam locum neve ad determinatam personam neve ad determinatos labores! Quilibet oret cotidie intimo ex corde: Fiat in me et per me modo perfectissimo sanctissima, justissima, amabilissima voluntas Dei! Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum!

Hac tantum via, confratres carissimi, vere liberi insimulque vere beati evadere possumus. Nemo vero alios reddere poterit laetos beatosque nisi ipse fuerit humilis, promptus ad abnegationem sui ipsius, introrsum liber ac beatus. —

In festo S. Francisci Assisiensis, die onastico meo, congratulationes tam multae ferventesque ex omnibus collegiis mihi factae sunt, ut etiam in hoc numero annalium gratias meas intimas renovare velim. His de congratulationibus licet valde gavisus sim, maiori tamen consolationi mihi fuit singulos gratulantes mihi serio promisisse se velle fideliter mecum collaborare, ut Societas nostra augeatur et merito et numero!



Via della Conciliazione 51 / Photo Orestini, Roma

E COLLEGIIS NOSTRIS

Superiores Provinciales rogaveram, ut relationes breves in lingua latina conscrip-
tas et in annalibus publicandas Romam mit-
terent. At vero plurimi Superiores usque
nunc id non fecerunt, ita ut in hodierna edi-
tione annalium de singulis provinciis et col-
legiis perpauca dici possint. Denuo igitur
omnes Superiores Provinciales enixe ro-
gare velim, ut relationes, quae in forma
pressa et lingua latina referant de vita
in ipsorum provincia et collegiis, additis
etiam quibusdam photographiis, saltem bis
in anno ad Generalatum mittant.

Roma

Domus Generalit̃a

Labores suscepti perficiendi collegium
nostrum Romanum summo studio conti-
nuantur, ut haec Sedes Generalatus et col-

legium hoc internationale studiorum revera
centrum evadat Societatis veraque « Casa
madre ».

Visitationem canonicam primo prae om-
nibus aliis provinciis in missione nostra Si-
nica instituendam esse duxi, non solum
quia haec missio toti Societati valde cordi
est ideoque jus primum visitationis meae
habet, verum etiam quia res internae mis-
sionis canonicam visitationem exigebant.
Accedit tandem, quod missio nostra Sinica
longissime distat ab Europa ideoque missio-
nariis ipsis minor occasio praesto est re-
ferendi Generalatui res missionis suasque
res personales.

NB! Interim, die 23. octobris 1947, Rev.mus
P. Generalis via aëria in Sinam profectus
est suumque ibi adventum per telegra-
phium jam nuntiavit.

Adm. RP. Athanasius Kraechan superatis multis difficultatibus licentiam tandem obtinuit exeundi e Germania Romamque advenit initio mensis septembris.

Electiones novae imprimis a nobis institutae sunt pro omnibus fere provinciis, quia tempus singulis officiis a nostris Constitutionibus concessum jam diu expiraverat. Electiones factae **in hoc numero annuum promulgantur**. Superior localis cum consultorio pro domo Generalitia electus est itemque Rector scholasticorum.

Constitutiones nostrae a pluribus Patribus a Capitulo Generali destinatis diligentissime revisae S. C. de Rel. dijudicandae et confirmandae proponuntur. Provisum porro est, ut quam primum edantur Manuale pietatis, Caeremoniale et Consuetudines. Omnes hos labores, qui revera magni momenti sunt pro universa Societate, usque ad tempus a Capitulo Generali determinatum perfici posse spero.

Adm. RP. Dorotheus Brugger, Postulator in causa beatificationis Venerabilis Patris nostri Fundatoris, in Americam (USA) profectus est, ut ibi processum informationis ipse agat et acceleret.

His in annalibus omnes confratres maxime attentos reddere velim anno proximo, i. e. die 16. junii 1948, **centesimum diem natalem esse Venerabilis nostri Patris Fundatoris**. Omnes et singuli Patres Provinciales et Commissarii Provinciales diligentissime curent, ut in omnibus collegiis memorabilis ille dies et convenienter praeparetur et digne celebretur. Singuli Superiores ad Generalatum referant, quaecumque ad hunc finem fecerint.

Hac de causa **Biographia V. P.** in lingua italica a Mons. Federici conscripta a Generalatu edetur. RP. Baptista Berg vitam eisdem Venerabilis Patris nostri in lingua germanica conscripta et ad intelligentiam popularem accomodatam publicabit. Item provincia americana septentrionalis (St. Nazianz) non pauca scripta edidit, inter alia duo volumina vitae VP

(«Victory», «Others will come»), quae populo valde placere videntur.

Collegia Narniense et Montalto utpote unica collegia nostra italica adprobante S. C. de Rel. Generalatui immediate subjecta sunt.

Scholasticatus Romanus notam collegii internationalis, sicuti ante bellum, prae se fert, siquidem fere ad 20 scholasticos e diversis nationibus ibidem studiis vacant.

Narni

Collegium Narniense templumque Marianum collegio adnexum telis explosivis seu bombis graviter devastata indefesso labore nostrorum Patrum Deo favente restituta sunt. In templo ipso celeberrima illa imago BMV miracula edens maxima veneratione maximoque concursu piissimi populi colitur sub titulo Dominae nostrae de Ponte (Madonna del Ponte). Porro, in collegio nostro Narniensi etiam novitii italici pro tempore commorantur. Die 11. octobris 1947, in festo Matris Salvatoris, septem novitii (5 italici, 1 polonus, 1 ex Hollandia) primi post bellum transactum vota emiserunt. Patres clero saeculari in administrandis parocciis diligenter accurrunt. Dubium non est, quin collegium hoc sive ut sanctuarium BMV sive ut novitiatu maximae spei pro nostra Societate sit!

Montalto

Collegium hoc studiis humanitatis pro pueris addictum (gymnasium), licet in regione pulcherrima vereque mirabili sita sit, ad finem tamen propositum minus idoneum esse septem annis elapsis ab eius fundatione magis magisque cognovimus. Qua de causa in alia provincia italica collegium novum erigere intendimus, ubi plures vocationes religiosae expectandae resque aëconomicae collegii solidius compositae sint.

E Collegiis Americanis

Provincia Americana Septentrionalis

Hac temporum iniquitate, dum innumera-biles homines inopia et fame tam acriter



Domus Generalitia visa ex » Piazza S. Pietro « / Photo P. Francesco

irritantur, haec provincia de collegiis nostris in Europa sitis optime merita est. Pluribus milibus fascium seu, ut dicunt, parcels alimentorum et vestium in Europam missis documentum manifestum verae confraternitatis dederunt. Etiam in his annalibus nomine meo proprio et nomine omnium collegiorum nostrorum, quae in Europa sita sunt, maximas nostras gratias renovare velim. Hanc singularem caritatem DEUS abundanter retribuat!

Aliud magnum meritum provinciae americanae in eo est, ut activitate strenua missionis procurae Elktonensis missio nostra Sinica durante bello conservari potuerit, quia subsidia missioni tam necessaria sedulo in Germania collecta transferri non potuerant.

Provinciae Americanae Meridionales Columbia

In provincia columbiana labores nostri bene procedunt. Patres nostri in urbe Bo-

gotensi (Bogotá), quae est caput huius civitatis et caelo salubri gaudet, novum collegium (gymnasium) aperuerunt. Hac in regione multi pueri statum sacerdotalem et religiosum eligere dicuntur.

Paroeciae ad litus sitae, ubi primi Patres maximis sacrificiis in urbe Cartagenensi (Cartagena) fundamenta huius provinciae posuerunt, adhuc a nostris administrantur.

Chiloe

Tam auctoritati ecclesiasticae quam ipsi populo magno dolori fuit, quod collegium nostrum chilense (Castro, Chiloe), suppressere debuimus. Conditiones, quibus hoc collegium anno 1936 conditum erat, nimis durae fuerunt minusque aptae, ut Patres ad semper ibi permanerent. Licet igitur conditiones externae tam difficiles fuerint, omnes Patres officiis suis religiose ac fideliter satisfecerunt ipsisque gratias et laudem debemus. Confratres interea in Columbiam reversi sunt, redibunt tamen in Chilem,

quam primum fieri potest, in aliam vero dioccesim, ubi conditiones meliores inveniuntur, praesertim quantum ad vocationes religiosas.

Provincia Brasiliiana

Capitulo Generali septimo feliciter peracto diversae mutationes necessariae fuerunt, quia Adm. RP. Vincentius Hirschle, qui sortes provinciae prospere adhuc rexe- rat, quartus Consultor et Secretarius Generalis electus fuerat. Membra novi provincialatus haec sunt: Adm. RP. Michael Dürr, Superior Provincialis, RP. Adalbertus Nunes primus Consultor, RP. Pius Wespel secundus Consultor, RP. Bellarminus Krause tertius Consultor, RP. Marcus C. de Almeida quartus Consultor, RP. Damianus Prentke Secretarius et Procurator Provincialis.

De singulis collegiis huius provinciae haec dicenda sunt.

1. Rio de Janeiro

Collegium hoc, quod usque adhuc sedes provincialatus fuerat, duas paroecias (15-20 milia animarum) administrat, Divino Salvador et Piedade. Hoc in collegio sex Patres assidue collaborant.

2. Vassouras

Sex Patres huius collegii in tribus paroeciis et quinque communitatibus sororum laborant. Die 29. septembris 1947 RP. Martinus Lœw, qui per plures annos ad hoc collegium pertinebat, pie mortuus est. De ipso infra in necrologio!

3. Jundiai

Jundiai nova sedes provincialatus est. Insuper collegium studiorum (Escola Apostolica) ibi est, in quo pro tempore 110 pueri studiis vacant. Etiam paroecia ibi a nostris Patribus administratur. Huic collegio novem Patres, unus frater scholasticus, qui pueros docet, et unus frater coadjutor addicti sunt.

4. Indianopolis

Hac in domo 19 scholastici studiis philosophicis et theologicis operam dant. Duo

scholastici Romae Universitatem Gregorianam frequentant. Ad hanc domum undecim Patres pertinent, quorum duo adhuc sunt Patres scholastici alique duo praelectiones Universitatis Gregorianae frequentant.

5. Videira (olim Perdizes)

Collegium hoc gymnasium propaedeuticum est, ubi 30—40 pueri litteris addiscendis vacant; adnexam habet paroeciam. Quinque Patres indefesso studio ibi laborant.

6. Tangará

Duo Patres huius domus paroeciam administrant.

7. Parangaba

In paroecia huius loci tres Patres laborant et scholam pro pueris (Escola Apostolica) aedificant. Pars scholae jam aedificata a nostris Patribus habitatur.

8. Pacoti

Gymnasium propaedeuticum ibi est, in quo 30—40 pueri litteris vacant. Tres Patres ibi laborant et paroeciam administrant.


9. Campinas

Tres Patres erudiendo populum auxiliumque ferendo clero saeculari diligenter ibi laborant. Etiam ecclesiam Divino Salvatore dicatam aedificaturi sunt, quae tamen non erit ecclesia paroecialis.

10. Jundiai-Sítio (praedium quod ab ipsa urbe Jundiai circiter 7 km distat).

Sedes novitiatus in hoc collegio est, in quo hoc anno 15 novitii commorantur. Ad hoc collegium duo Patres pertinent et quinque fratres coadjutores.

Praedium hoc 550 iugeris constans magnas habet silvas. Praeterea enumerantur 30 000 arbores eucalyptiae, circiter 1 200 arbores medicae, 15000 vites, 3500 frutices bananarum quae singulis annis 350 000—400 000 bananas effundunt; quotannis tandem ma-



Basilica S. Petri et palatium Vaticanum visa ex domo Generalitia.

Photo Sciamanna, Roma

gna messis oryzae, fabarum, zae, fructuum solani tuberosi et olerum. Ut fertilitas prae-dii tam magni melius adhuc excolatur, ad minimum adhuc viginti fratres coadjutores valde desiderantur.

11. Barbalha

Collegium hoc usque ad mensem septembrem huius anni ad experimentum tantum receptum nunc definitive erectum est, quia ibi plures vocationes religiosas inveniuntur et regio haec fertilis caelo salubri gaudet. Tres Patres nostri, qui Barbalhae paroeciam regunt, rogati sunt, ut unus eorum director gymnasii constituatur.

Brasilia in America meridionali sita 21 civitates et 6 territoria habet. Situs nostro-

rum collegiorum hic est : Rio de Janeiro, caput Brasiliae, in territorio sita est quod dicunt Districto Federal (D. F.); Vassouras in civitate Rio (Estado do Rio); Jundiai in civitate Sao Paulo (Estado do Sao Paulo); Indianopolis est pars suburbana urbis Sao Paulo, quae est caput civitatis eiusdem nominis. Rio de Janeiro ferme 2 000 000 incolas habet, Sao Paulo 1 800 000.

Campinas prope ad Jundiai in civitate Sao Paulo sita est; item Jundiai-Sitio. Parangaba, Pacoti et Barbalha pertinent ad civitatem septentrionalem Cearà (Estado do Cearà).

Haec de provincia Brasiliana sufficiant ! Proximo numero annalium de ipsis confratribus deque eorum officiis loquemur.



Domus Generalitia.

Photo Sciamanna, Roma

E Collegiis in Europa sitis

Germania

Provincia Germanica Septentrionalis

Provincialatus Coloniam Agrippinam in domum a nobis acquisitam, quam dicunt Ursulastift, translatus est, siquidem attenta conditione actuali Germaniae sedes provincialatus Coloniae Agrippinae magis in media provincia est et ipse Pater Provincialis facilius ab omnibus adiri potest.

Steinfeld

Collegium hoc antiquam suam traditionem prosequitur ibique multi juvenes stu-

diis vacant. Episcopus Aquisgranensis, Dr. van der Velden, in cuius dioecesi collegium Steinfeldense situm est, mihi dixit: »Das Salvatorianer-Kloster Steinfeld ist zu einem kulturellen und religiösen Zentrum der Eifel geworden!«

Collegium Sennense

Domus haec olim tam magni momenti pro dioecesi Paderbornensi aliisque dioecibus Germaniae septentrionalis uti domus exercitiorum spiritualium a nationalsocialistis vi nobis erepta, ab auctoritate civili, quae Westphaliā occupat, usque hodie nobis nondum est reddita.



Domus Generalitia:
Aula magna Christo Regi dicata.
Photo Sciamanna, Roma

Provincia Germanica Meridionalis

Monachium: Ibi sedes est provincialatus.
Passavia

In collegio nostro Passaviensi fratres scholastici ex duabus provinciis germanicis, qui bello interfuerunt vel ex captivitate russica dimissi reverterunt, studiis philosophicis et theologicis vacant.

Wurzach

Schola nostra Wurzacensis ab auctoritate publica approbata est »staatlich anerkanntes Gymnasium«, uti dicunt. Mense septembris elapso multi ministri et praefectus (Landräte) ex tota Wurtembergia huc conveniunt ad res scholae deliberandas. Officialis quidam a Supremo Consilio publicae insti-

tutioni praeposito designatus gymnasium nostrum visitavit laboresque Patrum in relatione sua eidem Supremo Consilio facta valde laudavit.

Provincia Austriaca

Vindobona

Temporum iniquitate etiam haec provincia sicuti provinciae germanicae multa adhuc sustinere debet. — Plura aedificia a Patribus Barnabitis pacto multis annis antea inito nos accepisse omnes norunt; pactum ipsum nunc exspiravit.

Provincia Cechoslovacensis

Novae electiones pro hac provincia institutae sunt, quae in his annalibus promul-

gantur. Pauci illi Patres, qui in hac provincia commorantur, unitis viribus fideliter collaborare student, per quantum adversa temporum adjuncta id permittunt.

Provincia Polonica

Conditiones externae attentis rerum adjunctis licet ibi non sint secundae, confratres tamen indefesso studio multum proficiunt et incrementa acquirunt magni momenti (gymnasium, noviciatus), quae laude speciali digna sint.

Commissariatus Helveticus

Helvetia ipsa quamquam bello intacta est, Commissariatus tamen noster Helveticus magna onera pro universa Societate suscipere debuit et adhuc in dies suscipit. Quapropter tribus illis fratribus coadjutoribus, qui in domo nostra Solothurnensi jam ex multis annis tam egregie laborant, gratias meas intimas hic renovare velim.

Friburgum

Scholasticatum internationalem ibi erigere intendimus, praesertim cum Universitas Friburgensis incrementa auspiciousissima cepit.

Provincia Britannica

Chester

Collegia nostra Britannica ad dignitatem provinciae evecta sunt. Primus Praepositus Provincialis electus est Adm. RP. Coemgenus (Kevin) Kenny. Collegium Cestriense (Chester) sedes provincialatus est, scholasticatus et novitiatus.

Adm. RP. Cuthbertus Smith, primus noster sacerdos britannicus, Rector scholasticorum electus est; Adm. RP. Gabriel Enderle, qui jam ex multis annis optime meritus est de provincia nostra Britannica interius exteriusque dilatanda, Magister novitiorum factus est.

In collegio nostro Cestriensi inde ex anno elapso exercitia spiritualia laicis a nostris Patribus praedicantur, cui labori collegium hoc attenta opportunitate loci magnisque hortis ibi sitis valde idoneum est.

Wealdston

Auctore RP. Xaverio Howard decem Patres in paroecia et in scholis nostris superioribus summo studio laborant; circiter 240 discipuli scholas frequentant. Haec Patrum activitas tam assidua et indefessa magno emolumento animarum est, inprimis juventuti principiis christianis erudiendae. Eminentissimus Cardinalis Griffin, Archiepiscopus Londinensis, qui hos labores nostros valde fovet, collegium visitatione sua honoravit. Paroecia nostra Wuildstoniensis circiter tria milia animarum habet.

Abbot's Langley

In ecclesia nostra praeoeciali, quae Abbot's Langley sita est, exercitia spiritualia laicis semper praedicantur.

In edendis nostris periodicis britannicis Reverendi Patres Paschalis Green et Stanislaus non obstante magna inopia chartae — difficultates nempe, quibus multae civitates bello nunc transacto premuntur — optime meriti sunt.

Jam inde ex initio belli elapsi scholae elementares duarum paroeciarum in collegio nostro hospitio receptae sunt.

Alton

Collegium Altonense duobus abhinc annis erectum domus studiorum est pro pueris britannicis. Etsi tantum duodecim pueri usque nunc studiis ibi operam dant, speramus tamen indefesso labore Patrum adhuc multos pueros ad nos venturos esse.

Memoratu tandem dignum nos acquisivisse duobus abhinc annis in loco Ystradgynlais (South Wales) domum licet parvam tamen perpulchram. Tres Patres, qui ibi commorantur, in cura animarum feliciter laborant.

Commissariatus Rumenus

Confratres quamquam bello diutius semper durante paucissimi evaserunt, fortiter tamen perseveraverunt. Attentis adjunctis gravissimis nemo Patrum ad Capitulum Generale inde venire potuit, id quod omnibus Capitularibus magno dolori fuit.



Domus Generalitia » cortile «

Commissariatatus Belgicus

Hamont

Mense septembri elapso schola initium fecit novi anni scholastici eamque nunc circiter 72 pueri frequentant.

Anno 1947 quinque scholastici ex hoc Commissariatu sacrum presbyteratus ordinem susceperunt. Distii (Dist), loco natalitatis S. Joannis Berchmans SJ, novem scholastici studiis theologicis vacant. Hi scholastici habitant apud Patres Cruciferos (Kreuzherren) et frequentant praelectiones, quae ab iisdem Patribus suis scholasticis dantur.

Collegium Hamontense RP. Trudbertum Plessers missioni nostrae Sinensi concredidit, qui vero primo in Britanniam se contulit ad discendam linguam britannicam.

Welkenraedt

In collegio nostro Welkenraedtensi Patres curae animarum magno successu operam dant, et quidem in sacello proprio collegii, in duabus paroeciis et in hospitio senibus destinato. Tam in collegio Welkenraedtensi quam in collegio Hamontensi ven. sorores

SDS rebus domesticis optime consulunt. Item nosocomium magnum in urbe Hasselt quantum ad res spirituales ab aliquo Patre huius collegii valde bene administratur.

Missio Sinica

Missionarii nostri et sorores durante bello multa perpessi sunt. Per quinque integros annos totaliter separati erant a Germania, nullas litteras sive a nobis sive a suis familiis receperunt, nulli novi missionarii neve novae sorores in missionem proficisci potuerunt, nulla subsidia materialia a procura missionis germanica, quae pecunias a fidelibus sponte oblatas diligenter fideliterque administraverat, accipere potuit, tandem per duodecim menses « concentrati » (i. e. interniert) erant. Praefectus Apostolicus, Mons. Inigo Koenig, cum suis missionariis hisce difficultatibus minime fractus missionem ipsam non solum ab exitu imminenti servavit, sed indefesso labore etiam adauxit.

Litteras ad singulos Superiores Maiores jam misi, ut novos missionarios pro missione nostra Sinica Generalatui praesentare vellent.

Novae electiones institutae hisce promulgantur

1. Provincia Americana

Sup. Prov. P. Hieronymus Jacobs
 1. Cons. P. Winfridus Herbst
 2. Cons. P. Waldemar Herborn
 3. Cons. P. Matthaeus Fehring
 4. Cons. P. Thomas L'Ecuyer
 Procurat. P. Beda Friedrich
 Secret. P. Thomas L'Ecuyer

2. Provincia Austriaca

Sup. Prov. P. Roland Macho
 1. Cons. P. Norbertus Zahradnik
 2. Cons. P. Camillus Mohr
 3. Cons. P. Walter Leißing
 4. Cons. P. Volkmar Kraus
 Procurat. P. Norbertus Zahradnik
 Secret. P. Norbertus Zahradnik

3. Provincia Brasiliana

Sup. Prov. P. Michael Dürr
 1. Cons. P. Adalbertus P. Nunes
 2. Cons. P. Pius Wespel
 3. Cons. P. Bellarminus Krause
 4. Cons. P. Marcus C. de Almeida
 Procurat. P. Damianus Prentke
 Secret. P. Damianus Prentke

4. Provincia Britannica

Sup. Prov. P. Coemgenus Kenny
 1. Cons. P. Cuthbertus Smith
 2. Cons. P. Gabriel Enderle
 3. Cons. P. Xaverius Howard
 4. Cons. P. Ricardus Dunne
 Procurat. P. Ricardus Dunne
 Secret. P. Leo Smith

5. Provincia Cechoslovacensis

Sup. Prov. P. Stephanus Srahulek
 1. Cons. P. Albinus Kvita
 2. Cons. P. Cyrillus Braschke
 3. Cons. P. Leonardus Pauk
 4. Cons. P. Georgius Pustejovski
 Procurat. P. Albinus Kvita
 Secret. P. Albinus Kvita

6. Provincia Columblana

Sup. Prov. P. Maurinus Rast
 1. Cons. P. Felicianus Goßner
 2. Cons. P. Wolfgangus Feßler
 3. Cons. P. Odilo Schick
 4. Cons. P. Joseph Gierer
 Procurat. P. Joseph Gierer
 Secret. P. Odilo Schick

7. Provincia Germaniae Meridionalis

Sup. Prov. P. Gottfridus Görmiller
 1. Cons. P. Apollinaris Thoma
 2. Cons. P. Reinfridus Schneider
 3. Cons. P. Paschalis Schmid
 4. Cons. P. Guido Hegele
 Procurat. P. Sigisbertus Kraus
 Secret. P. Vianney Ascher

8. Provincia Germaniae Septentrionalis

Sup. Prov. P. Ludger Dingenotto
 1. Cons. P. Amadeus Tannerbauer
 2. Cons. P. Tharsitius Wolff
 3. Cons. P. Dionysius Glehn
 4. Cons. P. Balduin Wippermann
 Procurat. P. Tharsitius Wolff
 Secret. P. Xaverius Falkenbach

9. Provincia Polonica

Sup. Prov. P. Coelestinus Rogowski
 1. Cons. P. Alfonsus Slusarczyk
 2. Cons. P. Alfredus Grabowski
 3. Cons. P. Marcus Piatkowski
 4. Cons. P. Laurentius Bochonek
 Procurat. P. Stephanus Filas
 Secret. P. Marcus Piatkowski

10. Pro-Provincia Belgica

Sup. Pro-Prov. P. Hermannus J. Duysters
 1. Cons. P. Pius Weiß
 2. Cons. P. Canisius Driessen
 Procurat. P. Antonius Slenders

11. Pro-Provincia Helvetica

Sup. Pro-Prov. P. Bonav. Schweizer
 1. Cons. P. Irenaeus Müller
 2. Cons. P. Bernardus Salliet

12. Pro-Provincia Rumena

Sup. Pro-Prov. P. Stephanus Christ

Missio Sinica

Praefectus Apostolicus Mons. Inigo König
 Superior religiosus P. Matthaeus Laser
 1. Cons. P. Petrus Hüntemann
 2. Cons. P. Arthurus Ogger.

NECROLOGIUM

RP. Basilius Benz die 28. iulii 1947 in collegio Elktionensi pie in Domino mortuus est. Natus die 7. iulii 1881 in archidioecesi Friburgensi (Brisgoviae) in Germania studiis humanitatis itemque philosophia et partim etiam theologia jam absolutis ingressus est in Societatem die 16. martii 1904. Prima vota emisit Romae die 1. aprilis 1905, ibidem sacerdos ordinatus est die 1. decembris 1907.

Postquam in collegiis Lochauensi et Hamburgensi candidatos nostros clericos per aliquot annos diligenter erudierat, in collegium Elktionense translatus est ibique denique in Domino mortuus est.

RP. Basilius Benz singulari humanitate eminebat, affabilis fuit et fidelis in disciplina religiosa observanda. Deus Omnipotens Maximus quacumque pro Societate fecerit abundanter ei retribuatur ! RIP !

RP. Martinus Loew in festo S. Michaelis Archangeli anni currentis omnibus Ecclesiae sacramentis rite susceptis pie in Domino obdormivit. Natus die 13. aprilis 1879 in dioecesi Trevirensi in Germania in Societatem ingressus est die 30. octobris 1902, prima vota emisit die 4. octobris 1907, sacerdos ordinatus est Romae die 10. augusti 1912.

RP. Martinus Loew a Venerabili Patre nostro Fundatore in provinciam Brasilianam incardinatus per totam vitam suam magno emolumento animarum ibidem laboravit. In collegio Vassourensi plenus meritis pie mortuus est. Optima quoque voce (Tenor) gaudet, ita ut cantu suo optime adjuvare potuerit ad festa liturgica et domestica digne celebranda.

Salvator Mundi, cui vitam suam dicaverat, omnia abundanter ei retribuatur ! RIP !

Nota nda

Superiores maiores attentos reddere velim privilegium dicendi **orationem « Defende »** uti **imperatam** minime concessum esse Societati qua tali, sed hanc permissionem a suo quemque Ordinario loci impetrare debere.

Festa Nativitatis Domini annuaeque vices cum jam immineant, omnibus et singulis confratribus fausta quaeque et abundantiam donorum caelestium auspicaturus paternam pleno ex corde impertior benedictionem.

P. FRANCISCUS EMMENEGGER
Superior Generalis SDS